

MCCCCLXXI. Abiit ergo cum licentia Superiorum, ut vocatus Magister Novitiorum, ad Monasterium *Herosveldense*. Interea DEVS misereatur Corbejæ! Ut *pietas & doctrina* Ordinem nostrum exaltavit: ita *luxus & socordia* eundem depresit. Sapienti sat!

XXVI.

ROSUVITHÆ CARMEN
de
PRIMORDIIS & FUNDATORIBUS
COENOBII GANDESEMENSIS,
Ex MSto.

PROOEMIUM CARMINIS.

Ecce meæ supplex humilis devotio mentis,
Gliscit felicitis primordia *Gandeshemensis*
Pandere *Cænobii*, quod cura non pigritana
Construxere Duces Saxonum jure potentes,
Luidulfus Magnus, clarus quoque filius eius
Oddo, qui cœptum perfecit opus memoratum.

HROSVIDA GANDERSEMENSIS *Canonissa de*
Constructione Cænobii Gandersemensis.

Ordo nunc rerum deposcit debitus harum,
Ut prius illustris constructio GANDESEMENSIS
Apto COENOBII recinatur carmine nostri,
Quodnam construxisse DUCEM reverenter eundem,
Constat SAXONUM; quem prædixi *Luidulfum*.
Hic pernobilium natus de stirpe parentum,
Ortus quique sui respondens nobilitati,
Moribus egregiis usuque suæ probitatis
Inter Saxones crevit laudabilis omnes.
Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis,
Atque sui generis solus spes & decus omnis.
Hinc nam Francorum magni Regis *HLUDOVICI*
Militiæ (b) primus adscriptus pene sub annis,
Ex ipso digne summo sublatus honore,
GENTIS SAXONUM mox suscepit COMITATUM,
Ac cito majoris donatus munere juris,
Principibus (c) fit, Ducibus sed nec fuit impar.
Quique suos omnes vicit pietate parentes,
Non minus insignis pompa vincebat honoris.
Cui CONJUX ergo fuerat prænobilis ODA
Edita Francorum clara de stirpe potentum;
FILIA BILLUNGI cuiusdam Principis almi,
Atque bonæ famæ generosæ scilicet AEDAE
Hæc igitur crebro precibus consueverat AEDA,
Se totamque suam Domino committere vitam;
Sæpius atque piis insistens sedula factis,
Promeruit bene promissis edocta supernis,

Discere

(b) primis, (c) fit par.

Discere, BAPTISTA CHRISTI referente beato,
 Quod sua progenies seclis quandoque futuris
 Promissura (d) foret JURIS DECUS IMPERIALIS.
 Ergo nocturnas quondam scindente tenebras
 Aurora lucis splendore suæ rutilantis
 Hæc prostrata sacram solito jacuit secus aram,
 Sacratam sub BAPTISTAE JOHANNIS honore,
 Oratu pulsando jugi penetralia cœli.
 Cumque piam studiis mentem laxaret in illis,
 Vidit prona pedes hominis, propius sibi stantis
 Ac commota parum volvebat pectore multum,
 Quis foret ille suum qui conturbare secretum
 Præsumpsisset, in hac hora precibus fatis apta:
 Fronteque de terra modicum conversa, levato,
 Aspexit juvenem miro splendore micantem,
 Indutum vestis velamine flavicomantis,
 Ceu foret è PILIS curvi contexta CAMELI;
 Cuius candori nimio pulchræ faciei
 Barbula parva nigris sociata colore capillis
 Quoddam splendentis præstabat stemma nitoris.
 Quem matronavidens nec non (f) mortalem fore credens
 Obstupuit, mentis juxta morem muliebris,
 Procumbens subito magno terrore coacta.
 Ille sed affatu blando trepidam refovendo
 Inquit, ne trepidas, (g) nec perturbata pavefcas,
 Sed cognosce gravis pulso terrore timoris
 Quis sim, magna tibi portans solamina veni.
 Nam sum JOHANNES, liquidis qui tinguere lymphis
 Christum promerui; quia nos crebro coluisti,
 Nuncio: Virginibus sacris tua clara propago
 Instituet Claustrum, pacem regnique triumphum,
 Dum sua religio studio steterit bene Regum.
 Hinc tua progenies seclis quandoque futuris
 Culmine pollentis tanto clarescat (h) honoris,
 Ut terrenorum nullus tunc tempore Regum
 Jure potentatûs illi valeat similari.
 Dixerat & subito rediens penetraverat æthra,
 Linquens matronæ solamen dulce benignæ.
 Hujus magnifici decoris promissio grandis
 Progeniem Domni (*) claram specialiter ODAE
 Signavit, de qua natus Dux inclytus ODDO
 Sceptris HENRICUM REGEM genuit fatis aptum,
 Qui patris (i) AUGUSTI fuit ODDONIS venerandi,
 Eius qui Regis fultus virtute perennis,
 Postquam Saxonum rexit patris vice regnum,
 Nutu divino benedictus namque secundo,
 Imperii sedem Romani dignus eandem
 Ac sceptrum juris susceperat Imperialis;
 Æquivocumque sui natum pariter benedictum
 Disponente pia Regis bonitate perennis.
 Imperii sedem conscendere facit (k) eandem
 Atque pari similis splendore frui dicionis.
 Hæc igitur modici demonstrat pagina libri
 Plenius è causis rerum, quem scripsimus harum

Nunc

(d) promeritura.
(*) domnæ.(f) nec mortalem.
(i) Pater.(g) trepides,
(k) fecit.

(h) clarescet.

Nunc ad opus ceptum devote perficiendum
 Est convertendus stylus noster studiosus.
 Ast ubi LUIDULFO fuerat venerabilis ODA
 Fœdere legali conjuncta suo seniori
 Inter nostrates celebris profecerat omnes,
 Moribus & factis callem gradiens pietatis;
 Exemploque suæ vivens matris venerandæ,
 Se totam Domino commendabat prece sacra,
 Corde tenens matris monitum Claustrî faciendî.
 Hinc nam legalem non raro sui seniore
 Exhortabatur blandis nimium suadellis
 Ut de gazarum construxisset propriarum
 Sumtu Cœnobium divinis laudibus aptum,
 In quo sacrandæ Domino velamine sacro
 Fine-tenus castæ possent habitare puellæ,
 Atque vacare sui sancti famulaminè Sponsi.
 His ergo monitis Vir concedendo fidelis
 Conjugis electæ precibus consenserat apte,
 Ac sic communi simili conamine voti
 Deservire Deo cœperunt protinus ambo:
 Quis (l) fuit ecclesiæ possessio denique parvæ
 Trans ripas Gandæ supra montana locatæ,
 Unde locum celebrem vocitabant Gandeshemensem.
 Illic obsequio Domini digne celebrando
 Dum locus investigari posset magis aptus,
 Communi multas vita junxere puellas
 Atque sui natam decreverunt HATHUMODAM
 His habitu similem fieri, sociamque perennem.
 Atque (n) puellaris Rectrix fore posset ovilis,
 Primitus hanc ipsam reverenter ad instituendam
 Tradebant Abbatisæ cuidam venerandæ,
 Quæ prælatarum vice succedendo priorum
 TUNCHERIFORDENSEM sortita fuit sibi sedem.
 Tale (p) divinum meditati sunt famulatum
 Nisi Luidulfus, Conjux insignis & eius,
 Post hæc acceptis proprii scriptis senioris
 Scilicet almifici REGISQUE pii LUDOWICI,
 Ejus permissu cum non modico comitatu
 Romam pergebant sanctique patris (q) visitabant
 Eidem (r) muneribus dignis precibusque benignis,
 Ipsius auxilio deposcentes sua vota
 Juxta velle Dei sese perfolvere posse.
 Iisdem temporibus possedit Papa beatus
 SERGIUS ecclesiæ primatum namque regendæ.
 Hic ubi perlegit chartas Regis sibi missas,
 Sensit honore Ducem summo dignum venientem,
 Et perquirendo causam, qua venerat illic,
 Affatu miti blandum se præbuit illi.
 Quem, ceu Pontificem summum merito venerandum
 Exorans Dux Luidulfus cum conjugè pronus,
 Utique (s) his verbis tota dulcedine mixtis:
 Inclyte Papa tuis ne sis durus peregrinis,
 Qui de longinquis terrarum venimus oris,
 Muneribus nostri famulatus te venerari,

Ss

Niti-

(l) Queis. (n) Utque. (p) Tali. (q) patris. (r) Pedem. (s) Uitur.

Nitimur ardentis toto conamine mentis
 Condere Cœnobium Domini sub honore sacrandum;
 Unde quidem visum nobis est maximè justum
 A te consilii solamen quærere certi,
 Et studium nostri tibi rite precando fateri,
 Qui caput ecclesiæ toto dominaris in orbe:
 Quò, si forte tibi placeat devotio nostri,
 Auxilium præbente tua pietate paterna,
 Quod votis gerimus factis bene perficiamus.
 Actu consilium nimis (t) merito flagitamus.
 Susceptis donis clementi pectore nostris,
 Scilicet & Regis compulsus amore perennis,
 Præsta sanctorum nobis sacra pignora, quorum
 Omnis cœnobii constructio possit honori
 Apte signari, sacris mentisque (v) tueri.
 Utque sit absque jugo regum per secula potentum,
 Nec terrenorum patiatur vim Dominorum,
 Hoc Rectoris apostolici solum ditioni
 Tradimus, ad defendendum pariterque regendum.
 Hæc Dux, & (x) summus Præsul sic Sergius orfus
 Inquit; te mihi complector pectore fili,
 Confortemque tuam pariter complector amandam:
 Atque piis studiis gaudens congaudeo vestris,
 Nec vobis fas esse credo (y) negare petita.
 Hic duo Rectores fuerant aliquando potentes,
 Præsul ANASTASIUS sedis sanctissimus hujus
 Et Coapostolicus sacer INNOCENTIUS ejus;
 Qui post Pastorem Petrum Paulumque magistrum
 Ecclesiæ meritis celebres fulsere supremis;
 Quorum tam magna servantur corpora cura
 Actenus à cunctis huius Rectoribus urbis,
 Ut nec particulam quisquam subtraxerit unquam,
 Pleno membrorum numero remanente sacrorum.
 Sed quia jure piis concedere debeo votis
 Amborum, vobis donabo pignora gratis,
 Corporibus sacris abscisa patenter ab ipsis;
 Si Sacramento confirmatis mihi facto,
 Hæc in Cœnobii venerari jam memorati
 Fine tenus templo vestri munimine facto,
 Nocte dieque sacris illic resonantibus hymnis,
 Nec non accenso præclaro lumine semper.
 Hoc & Apostolici juris, sicut & petiistis,
 Cœnobium nostri designamus ditioni,
 Ut quidam terrenorum (z) sit securum Dominorum,
 His Dux promissis lætatus corde, verendis
 Mandatis se Pontificis summi fore sacris
 Mox responsurum factis, inquit, studiosis,
 Qui foret Ecclesia dignus mox ædificanda,
 Ut fert multorum sententia (a) vere scientum.
 Proxima Cœnobio fuerat tunc sylvula, (b) cuncta
 Collibus umbrosis; quibus & nos cingimur ipsis.
 Nec non in sylva fuerat sita parvula villa,
 In qua Ludulfi soliti stabulare subulci,
 Intra septa viri cujusdam lassæ quieti

Cor-

(t) A te consiliumque nimis merito flagitamus. (v) sacris meritisque. (x) at.
 (y) credo fas esse. (z) Ut terrenorum, omiſſa voce: quidam. (a) vera. (b) cincta.

Corpora nocturnis sua composuere sub horis,
 Dum sibi commissos debebant pascere porcos.
 Hic quondam, cum sanctorum venerabile festum
 Esset cunctorum mox post biduum celebrandum;
 Sub noctis claras tenebris ardere lucernas
 In sylva multas ipsi videre subulci.
 His visis cuncti mirabantur stupefacti,
 Quid nova splendentis vellet sibi visio lucis,
 Miro nocturnas scindens splendore tenebras;
 Hocque domûs patri narraverunt tremefacti,
 Demonstrando locum, quem lux perfuderat ipsum.
 Qui visu clare (d) cupiens audita probare,
 Extra tecta domus illis habitans sociatus,
 Infomnem cœpit noctem servare sequentem:
 Non claudens oculos somno suadente gravatos,
 Donec accensas (e) rursus rutilare lucernas
 Aucto vincentes numero videre priores,
 Ipso quippe loco, sed prisco quam plus (f) hora.
 Ominis hoc signum felicitis namque serenum.
 Ut Phœbus radios spargebat ab æthere primos,
 Fit notum fama cunctis prodente iocunda;
 Nec latuisse Ducem dignum potuit LUDULFUM,
 Aures sed citius dicto pulsaverat eius.
 Ipseque sacrata festi mox nocte futuri
 Observans cautè, si quicquam postea tale
 Cœlitus ostensi monstrarit visio signi,
 Cum multis sylvam pernox conspexerat ipsam.
 Nec mora, cum nebula terras nox texerat atra,
 Undique sylvestris per gyrum denique vallis,
 In quo fundandum fuerat prænobile templum,
 Ordine disposito cernuntur lumina plura;
 Quæ simul arboreas umbras noctisque tenebras
 Clare pollutis scindebant luce nitoris.
 Hinc simul astantes Domino laudem referentes,
 Omnes esse locum firmabant sanctificandum
 Eius ad obsequium, qui luce repleverat illum.
 At Dux cœlesti non ingratus pietati,
 Arboribus mox succisis spinisque rejectis,
 Consensuque suæ dilectæ Coniugis ODA,
 Omnino vallem mundari iussit eandem;
 Sylvestremque locum Faunis monstrisque repletum
 Fecit mundatum divinis laudibus aptum.
 Hinc, quos poscit opus, prius acquirens sibi sumtus,
 Protinus Ecclesiæ construxit mœnia pulcre,
 * (Deficiunt duo versus.)
 Quæ splendor lucis designavit rutilantis.
 Hac igitur causa jam (g) cœpta secundo
 Cœnobii sub honore Dei constructio nostri,
 Interea lapides structuræ convenientes
 Non potuere locis nancisci prorsus in illis:
 Unde moram templi patitur perfectio cœpti.
 Abbatis sed à Domino sperans HATHUMODA
 Impetrare fide credente (h) omnia posse,

Ss 2

Fran-

(d) claro. (e) succensas. (f) prius. *Ut sensus forte sit, eodem quidem loco lumina
 fuisse conspècta, sed hora prius quàm ante.* (*) Sensui nil deest. (g) fortè: jam nisi
 cœpta secundo. (h) credente se.

Frangebat sese nimio persæpe labore
 Nocte dieque Deo sacris studiis famulando;
 Et subjectarum multis illi sociatis,
 Cœlitus auxilii petit solamina ferri,
 Ne non perfectum remaneret opus bene cœptum.
 Nec mora cœlestem; quam quærebat pietatem
 Sensit ad sese, (i) sui votis promptam misereri.
 Nam jejunando sacris precibusque vacando
 Cum prostrata die quadam iacuit secus aram
 Vocis mansuetæ die quadam iacuit secus aram (k)
 Atque sequi volucrum, quem iam progressa sedentem
 Cerneret in faxi cuiusdam vertice magni.
 Ipsaque, complectens animo præcepta parato,
 Egreditur, dictis credens ex corde jubentis;
 Ac cementariis secum sumtis bene gnaris,
 Perrexit citius, quo duxit spiritus almus,
 Donec ad cœptum (l) perrexit nobile templum.
 Illic candidulam vidit residere columbam
 In designati præcelso vertice faxi;
 Quæ mox expansis volitans præcesserat alis,
 Temperat atque suum non sueto more volatum,
 Posse (m) tunc aëreos directo tramite fulcos
 Cum sociis gradiendo sequi virguncula Christi.
 Cumque columba locum volitans venisset ad illum,
 Quem nunc non sterilem magnis scimus fore petris,
 Descendens terram rostro percusserat illam,
 Sub cuius lapides latuerunt aggere plures.
 Quo certa (n) viso Christi dignissima Virgo
 Emundare locum socios præceperat ipsum,
 Et molem terræ circumfodiendo secare,
 Tellurisque gravem fodiendo scindere (*) molem.
 Quo factò, præstante pia bonitate superna,
 Copia magnarum monstratur multa petrarum:
 Unde monasterii cum templo mœnia cepti
 Omnia materiam possent traxisse petrinam.
 Hinc magis atque magis toto conamine mentis,
 Factores templi, Domini sub honore sacrandi,
 Instabant operi mox nocte dieque recenti.
 Sed Dux LUDOLFUS, primus qui conditor eius
 Extitit & cura cuius processit origo
 Omnis structuræ, precibus poscentibus ODÆ
 Proh dolor ad summum non duxit opus studiosum:
 Sed naturalis sæva tactus nece mortis
 Cogitur ante suum factori reddere flatum,
 Quam perfecta Domus Domini foret inclyta prorsus,
 Commisitque suæ caræ moriendo relictæ
 Atque suis natis, Ducibus supra memoratis,
 Totius infantis (o) pondus curamque laboris,
 Exorans votis, ut complerent, studiosis
 Omnem cœnobii structuram perficiendi.
 Cujus in antiquo corpus venerabile templo
 Tunc gremio terræ commendatum fuit apte.

Ossa

(i) adesse. (k) hæc repetitio prioris versus tollenda, & loco ejus aliquid substituendum est, in hunc
 fere sensum: Vocis mansuetæ monitis exire jubetur. (l) inceptum. (m) posset
 ut aëreos. (n) certo. (*) Videtur ipsa Roswita posteriorem versum priori substi-
 tuisse, & male ambos servatos. (o) ingentis.

Offa sed annorum post decursus aliquorum
 Sunt hac in Ecclesia translata locanda novella,
 Forfan adhuc (p) illum mundo Deus abstulit isto,
 Dum vix ætatis febres (q) tetigit mediocris,
 Illustris Domnæ post hæc ut plenius Odæ
 Mens intentata. (r) Deo possæt tractare superna,
 Expers carnalis totius prorsus amoris.
 Nec tamen auxilii solamen denegat illi:
 Sed præstabat opem solita pietate recentem,
 Quæ (s) suffulta suas possæt ditescere Nonnas,
 Omnibus his rebus, noster quibus indiget usus.
 Ergo sui natum, LUTGARDÆ nomine dictam,
 Nutu clementis Regis præstante perennis,
 Elegit clarus FRANCORUM REX LUDOVVICUS
 Regni consortem sibimet, sacramque (***) perennem;
 Filius illius, cujus dono LVIDVLVVS
 Suscepit primum propriæ gentis dominatum,
 Quæ regina quidem nobis ad prosperitatem
 Facta, suæ dignum sanctæ matri famulatum
 ----- regis præbens proprii senioris
 ----- Cœnobio promisit comoda nostro. (t)
 Interea Christi virgo felix HATHVMODA,
 Cum gregis undenos curam bis gesserat annos,
 Ocius in Christo moriens transiit ad astra,
 GERBERGÆ tenerum commisit ovile regendum.
 Hæc fuit illustri cuidam nimiumque potenti
 Desponsata viro, BERNRADO nomine dicto;
 Sed sese Christo clam consecraverat ipsa
 Cœlestifera (v) sponso velamine sacro,
 Omnino Sponsum spernens animo moriturum.
 Nec tamen extemplo, pro seditione cavenda,
 Auro fulgentes potuit deponere vestes;
 Induitur solito sed vestitu pretioso.
 Interea venit, quem sponsa Dei reprobavit,
 Uti colloquiis eius quærens manifestis.
 Audivit vero, votum quia fecerit ipsa,
 Velle puellarem castè servare pudorem.
 Quæ cum tardaret, cito nec procedere vellet,
 Quod prius audierat, verum fore valde timebat;
 Impatiensque moræ Dominam precibus placat ODAM,
 Donec ipsa suam iussit procedere natam
 Ornata pulcre cultu vestis pretiosæ,
 Nec non gemmatis sponfarum more metallis.
 Ast ubi Bernhardus vidit, quam desideravit,
 His verbis charam causari fertur amicam:
 Non raro didici, fama prodente sinistra,
 Quod te (x) nitaris nostrum dirumpere pactum,
 Et fidei fœdus servandum solvere prorsus.
 At nunc ad bellum citius properare futurum
 Præcepto Regis cogor, nostri Senioris.
 Hinc tempus quodni (y) non est hoc discutiendi,
 Si redeam certe sospes, comitante salute,
 Scito procul dubio, quod te mihimet sociabo,

S s 3

Atque

(p) ad hoc. (q) fines. (r) intenta. (s) Qua. (***) sociamque.
 (t) videntur versus in hunc ferè sensum supplendi: præstat, opem regis præbens proprii
 Senioris, multaque cœnobio promisit comoda nostro. (v) cœlesti verè sponso,
 (x) tu. (y) quoniam.

Atque tui votum penitus pessumdabo vanum.
 Dixerat, & dextra, permotus mente, levata
 Iurat per gladium, per candidulum quoque collum,
 Iuxta posse sui factis prædicta repleri.
 Respondens ergo GERBERG ait ore modesto:
 Christo me totam committo, meam quoque vitam,
 Utque fiat de me juxta Domino, rogo, velle.
 His ita colloquiis mutuo sermone peractis,
 Bernhrad mox abiit, casuque suo cito sensit,
 Nil contra Dominum quemcunque valere superbum.
 Et quia plus justo deliquit inania fando,
 Decidit in bello victus virtute superna.
 Ac Christi Virgo sponsi cœlestis amori
 Se mox conjunxit, quem castè semper amavit:
 Cuius primatus SEXTO ni fallor in ANNO
 BRUN Dux Ecclesiam promptus defendere sanctam
 Incursum de sævorum sætis Ungariorum. (z)
 Proh dolor ex ipsis Domini pravis inimicis
 Occiditur binis cum præsidibus venerandis,
 Omnibus atque viris propriæ pariter legionis.
 Quo mox occiso junior frater suus ODDO
 Dux factus populi, dono Regis HILDOVICI,
 Respondit factis sanctæ voto genitricis,
 Ac studio simili concordans nititur illi
 Cultibus Ecclesiam dignis ornare novellam,
 Quæ posthæc ANNO fuerat sacranda SECUNDO.
 Mœnia Cœnobii perfecit (a) omnia nostri.
 Commoda mansuris illic per secla puellis.
 His bene perfectis juxta præcepta parentis,
 Eligitur Dominâ poscente videlicet ODA
 Ipsa dies templo condigne sanctificando,
 In cuius noctis medio quam pluribus illo (b)
 Tertio conspicuæ quondam fulsere lucernæ;
 Et quod cunctorum pariter venerabile festum
 Sanctorum, vasti fuerat per climata mundi,
 Principio mensis celebrandum rite Novembris.
 Hac fama templi passim resonante sacrandi,
 Undique permultæ mox confluxere catervæ,
 Optantes diei præsentis esse celebri.
 Scilicet auroræ primo candore micante,
 Omnis nostrarum collectum (d) turba fororum,
 Susceptis patronorum gratulando piorum
 Corporibus sacris, pergit resonantibus hymnis
 Ad loca Cœnobii, summo conamine structi.
 Tunc tandem cunctis ad cultum rite paratis
 Festi, WICHBERTVS præful (e) Domini benedictus
 Dedicat hoc templum Domini sub honore decorum
 Omnibus ad laudem sanctis per secla perennem,
 Quorum tunc festum digne fuerat celebrandum.
 Hoc nam facta fuit clari sacratio templi,
 Centum mansuris octo vicibus revolutis
 Octonis denis uno pariter super aucto, (g)
 Postquam virgo puellaris sine sorde pudoris
 Seclorum Regem peperit, propriamque (h) parentem.
 Tunc cœpere locis primum sylvestribus illis

Car-

(z) Normanni erant non Ungari. (a) perfecit & (b) illic. (d) collectim.
 (e) Hildesbemensis. (g) id est anno Domini 887. (h) propriumque.

Carmina divinæ laudis clare resonare.
 Exin est (i) illius nostri collectio cœtus
 Illic permanfit Domino jugiter famulando.
 Et licet Abbâtiffa gregem Gerberga recentem
 Cautè fervare (k) crebris monitisque docere, (l)
 Conſervare ſuæ fuerat (m) quæ congrua vitæ,
 Contra propoſitum nec quid patrare profanum;
 Domna tamen conſervando venerabilis ODA
 Intra Clauſtra monaſterii cura vigilanti
 Scrutatur conjunctarum perſæpe fororum
 Actus & ſtudio, mores vitæ quoque curſum;
 Ne vel concepta (n) majorum lege ſequenda
 Vivere lege ſua reprobo præſumeret ulla,
 Vel locus illiciti foret illius (o) peragendi,
 Exemploque ſuo præmonſtravit facienda.
 Et ceu pudentis (p) dulcis dilectio matris
 Nunc terrore ſuas prohibet delinquere natas,
 Nunc etiam monitis bona velle ſuadet amicis;
 Sic hæc ſancta ſuas caras inſtruxit alumnas:
 Nunc Dominatricis mandando jure parentis,
 Nunc etiam matris mulcendo more ſuavis,
 Quo vita ſimili cuncta (q) communiter uni
 Servirent Regi, jubitant cui ſydera cœli.
 Præterea, quas maternæ pietatis amore
 Nutrivit verè, magno veneratur honore,
 Has ipſas vocitando ſuas ſæpiſſime Domnas.
 Nam quoties neptes ejus proceresque nepotes,
 Quos præpollentis decus extollebat honoris,
 Eius ad implendum convenerunt famulatum,
 Certantes donis illam donare coruſcis,
 Regis ut illuſtrem ſocrum propriamque parentem;
 Illos mox verbis affari dicitur itis:
 Exortans moneo vos, o mea pignora chara,
 Ut maturetis condignis (r) primulæ veſtris
 Muneribus noſtras large ditescere Domnas,
 Hic ſervire piis debent quæ ſedulo noſtris
 Patronis, quorum meritis precibus quoque ſacris
 Succellus nobis optatæ proſperitatis,
 Nec non regalis decus accedebat honoris.
 Hac ratione ſuam ſtirpem perſuaſerat omnem
 Erga Cœnobii cultum piè ſollicitari.
 Et loca, quæ generi dono Regis Hildowici
 Poſſeſſura quidem proprium ſuſcepit in uſum,
 Permittente ſua (s) pariter pietate benigna,
 Eccleſiæ tradi faciebat Gandeshemenſi.
 Nec Rex ipſe locum ſublimavit minus illum,
 Luidgardis (ss) pia Regina bonitate precante:
 Sed tradens illo largitur prædia multa
 In ius Gerbergæ, noſtræ Rectricis amandæ,
 Ipſius Illuſtris reginæ namque ſororis:
 Quem (t) Rex Arnulfus, ſucceſſor ſcilicet hujus,
 Poſt hac per ſcriptum regali jure ſtatutum
 Firmat, vinetis ejus dono ſuperauctis;
 Ac ſic Cœnobio ſuccedant proſpere (v) plura,

Sum-

(i) Exin &. (k) ſervaret. (l) doceret. (m) fuerant. (n) contemta. (o) ullius.
 (p) prudentis. (q) cunctæ. (r) primulæ, id eſt primò. (s) id eſt eius, nempe
 Regis. (ss) pia, quaſi monofyllabum. (t) Quæ. (v) proſpera.

Summorum meritis intercedentibus almis
 Pontificum, quorum constat sub honore dicatum.
 Sed ne plus iusto fragiles extollere mentes
 Suaderet talis successus prosperitatis,
 Utque probaretur felix nostri dominatrix;
 Verè iudicii salubris censura superni
 Per plures horum mundo subtraxerat isto,
 Quorum Cœnobium fuerat solamine fultum.
 Ergo Rege pio jam defuncto LUDOWICO,
 Qui Regum primus nostros tradebat in usus
 Regali prius obsequio loca debita multa,
 Nec non chyrographis eius sub nomine scriptis
 Jura monasterii firmaverat omnia nostri;
 Ejus post annos discessus denique paucos
 LUDIGARDIS Regina sui dignissima Regni
 Confors, tantorum quæ nobis causa bonorum,
 Exiit è mundo, discessit proh dolor isto,
 Non sine nostrarum magno rerum detrimento.
 Cuinam confimilis successit causa doloris,
 Abbatisa bonis, GERBERG, quia dedita curis;
 Quæ prædictorum suffulta juvamine Regum,
 Nec non Reginae germano fœdere junctæ,
 Cœnobium donis ornavit sæpe coruscis,
 Usibus & quæstum nostris superaddidit amplum;
 Postquam BIS DENOS BINOS QUOQUE præfuit ANNOS
 Officio, vice Rectricis perfuncta prioris,
 Deposito fragilis mortali pondere carnis
 Factori flatum reddebat ab æthere receptum;
 Orbatumque sui dimisit ovile SORORI
 CHRISTINÆ procurandum sancteque tuendum.
 Quæ præfatarum mores sectando sororum,
 Atque sui vitam bene præmeditando gerendam;
 Illis fit similis magnæ forma probitatis:
 Qui fuit æqualis provecta (x) nobilitatis,
 Mater & illius, stabilem corrumpere cuius
 Mentem nullarum potuit mutatio rerum,
 Quo minus obsequio Domini fieret studiosa;
 Provocat exemplis illam, monitis quoque crebris,
 Ut sese semper circumspiciens sapientem
 Commissum caute sibimet servaret ovile,
 Nec non factorum juxta meritum variorum.
 Nunc pie subjectas monitis mulceret amicis,
 Nunc etiam verbis iuste terreret acerbis,
 Ne quem divini ritum cultus violari
 Torpens affectus cordis permetteret eius.
 Ipsaque Domna sui studio laudabilis OPA,
 Quæ claris splendens radiis miræ bonitatis,
 Sat dilecta Deo fuerat, celebris quoque mundo,
 Semper maternæ solito pietatis amore.
 Eius adoptivis studuit conquirere natis,
 Quicquid Nonnarum deposcere sciverat usum;
 OTTONISQUE Ducis clari devotio grandis
 Concordando suæ vocis (y) caræ genitricis
 Auxilio Regum, quibus exhibuit famulatum,

Ipsum

(x) Quis (id est quis) fuit æqualis provecta nobilitatis. (y) votis.

Ipsum virgineum castrum (z) Christi famularum
 Fovit clementer, nec non provexit amanter.
 Nec propriae vitae compelli quivit amore,
 Ut vel eas damno laedendo tangeret ullo,
 Vel minus impleret, quae mater digna juberet.
 Ac sic concessae sibi per tempora vitae,
 Omni ferventis studuit conamine mentis
 Cœnobio patronorum præbere suorum
 Ipsius auxilii semper tutamina certi.
 Nec vice terribilis metui potuit senioris,
 Sed bene mansueti genitoris ad instar amari.
 Unde loco non immerito permanfit in illo
 Haecenus insignis laus illius pietatis.
 Nos quoque permotæ tantæ dulcedine famæ,
 Nec dum maternis quæ nunque rumpimus (a) alvis,
 Sed fuimus verè longo post tempore natæ,
 Hanc minus (b) illius constanter amore flagrari, (c)
 Quam qui præsentem contemplabantur eundem,
 Atque suæ donis ditabantur pietatis.
 Hic igitur talis præclaræ vir pietatis,
 Qui pius Urbicolis tribuit bona nostris,
 Morte sui matrem, nostri Domnamque potentem,
 Præveniendò prior, vetiti pro crimine pomi,
 Quod protoplastes degustavere parentes,
 Exiit membris limoso stamine textis
 Proh dolor! atque seris clausit sua limina mortis,
 Cætu nostrarum circumvallante fororum
 Pernimio Domni fletu lectum morituri.
 Cuius ad exequias summo nisu celebrandas
 Undique nostrates confluxerunt lacrymantes,
 Atque sui lethum cari senioris amarum
 Omnes immodicis pariter flere lamentis.
 Sed luctum procerum vulgi, pariterque lamentum
 Vicit Nonnarum miseranda querela suarum;
 Quæ pro defectu meritis (e) solito muliebris
 Vivere spernentes, citiusque mori cupientes,
 In lacrumando modum voluerunt ponere nullum.
 Hinc patris ejusdem chari dominique benigni
 Corpus per triduum conservabant inhumatum,
 Ceu sese lacrimis sperarent posse refusus
 Extincti flatum citius revocare reductum.
 Tandem consilium sapiens satis, advenientum
 Decernens variæ (f) spei debere reniti,
 Ocius in tumulo non absque dolore parato,
 Sed luctu nimio circumstantium (g) madefacto,
 Membra Ducis tanti dignè servanda locari
 Fecit in Ecclesiæ medio, quam struxerat ipse.
 Illic nostrarum studio certante fororum
 Continuis precibus dilectus spiritus eius
 Semper celsi-throni commendatur pietati,
 Quo det ei requiem clemens sine fine perennem.
 Scilicet ANTE DIES OCTO totidem quoque noctes,
 Quam Ducis occasus miserabilis accidit hujus,
 Ipsius nato, Regi quandoque futuro

T t

Nasci.

(z) cœtum. (a) quæ tunc erupimus. (b) Haud minus. (c) flagramus.
 (e) mentis. (f) vanæ. (g) circumstantium.

Nascitur HENRICO famosus filius Oddo;
 Qui fuit electus Regis pietate perennis
 Primus Saxonum Rex post patrem strenuorum,
 Augustus Romanorum pariterque potentum.
 MENSIBUS hinc SENIS cursu volitante peractis,
 Dum decus hortanti (i) clarum generis fuit ortum,
 In quo læta procul dubio promissa repleta
 Christi Baptistæ creduntur primitus esse
 Istius, exiguæ quæ mox in vertice Musæ
 ADÆ namque suæ memini fore dicta parenti;
 Oda nimis felix, nostri spes & Dominatrix,
 QUUM DECIES DENOS SEPTEM quoque vixerat ANNOS,
 Vitam fine bono consumens transit ad astra,
 Exspectans spe felici tempus redeundi
 Flatus, atque resurgendi de pulvere pleni
 Corporis in tumulo, quod nunc sub tegmine duro
 Juxta natarum requiescit busta suarum.
 Nec Christina, suis quæ sola remansit alumnis
 Iam tunc instantis grandis dulcedo doloris,
 Plus quam bis ternos post matrem vixerat annos:
 Sed reddens animam factore vocante beatam,
 Jungitur in lucis patria pacisque perennis
 Eius germanis, quarum pollebat honoris
 Heres, & sanctæ sectatrix inclyta vitæ.
 Quas matri cunctas in cœlo confociatas
 Alme pater tecum præsta gaudere per eum, (k)
 Illius (l) boni mercede perenniter uti,
 Quod retro cuncta tuis servasti secula charis:
 Quo Te cum Nato, nec non cum Flamine sacro,
 Solum Rectorem cœlestibus imperitantem
 Dulci lætitiæ laudantes (m) voce iocundæ.

XXVII.

HENRICI BODONIS
 CHRONICI GANDESHEMENSIS
 SUPPLEMENTUM

Ex MSto.

Distichon Distrophon.

Ui corde fuerit, fundamina Gandesianæ
 Ecclesiæ primus quis jecit,
 Nosse: & quam rebus dederit Deus esse secundos
 Tantis successus, fore gnarus
 Quisquis avet: gratus legat hæc syntagmata fratris
 Hinrici Bodonis paucula,

Multo

(i) *Hor tanti.* Sensus est: *Odam obiisse quinto mense, ex quo ortum est hoc tanti generis decus Oddo, in quo impleta sunt promissa initio hujus carminis memorata, Ada seu Aeda facta.* (k) *avum.*
 (l) *illiusque boni.* (m) *laudemus.*